Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2343
Quelle:
Copyright:

X. *fol.* 109. p. 2. Pſalmus L. ſive *Miſerere* rhythmis redditum hoc Praeludio:

Dum henricus egrotaret, et egrotans cogitaret,
Quod ad vite terminum
Vocaretur a potente, metu mortis imminente
Inuocauit dominum.

Quis hic *Henricus?* Imperatorumne aliquis? Paraphraſis ſic inchoat:

Miſerere mei Deus, quia miſer, quia reus
Delictorum meritis &c.

Et finit:

Sicut erat ab eterno glorioſum in ſuperno
Magnum nomen Domini.

XI. *fol.* 110. absque inſcriptione *Jacobi* ſive *Jacoponi de Benedictis* O. M. pius Rhythmus *de mundi contemtu:*

Cur mundus militat ſub vana gloria &c.

notus ille quidem et tritus, editusque cum aliis illius cantiunculis italicis *Romae* 1558. et *Venet.* 1617. 4. Quid ſi Paraphraſis praecedens etiam ad hunc *Jacoponum* pertineret?

XII. *fol.* 110. p. 2. *Exhortacio ad incitandum homines ad bene viuendum et mortem deſiderandum.* Incipit: *Hactenus cum Seneca loquar, qui ait, prius deſideraui ut bene viuerem, nunc autem deſidero, ut bene moriar* &c. Citatur per decurſum *Chryſoſtomus*, *Bernardus*, *Dionyſius* de div. Nominibus &c.

XIII. *fol.* 112. *Incipit Itinerarius a terra anglie in partes Iheroſolimitanas et vlteriores marinas editus primo in lingua gallicana a milite ſuo actore anno incarnationis domini M° CCC LV in Ciuitate leodien. et paulo poſt in eadem ciuitate translatus in hanc formam latinam.* Initium: *Cum terra Jeroſolimitana terra promiſſionis filiorum dei dignior ſit cunctis mundi terris* &c. Paulo poſt proditur Autor *Johannes de Mandeville*, quem et *Montevillanum* et *Magnovillanum* quidam adpellant, natus, ut ipſe ait, in *villa S. Albani*, qui a. 1322. *Maſſilia* ſolvens annis 33. in *Oriente* exactis, anno ſupra dicto *Leodii* fata ſua narravit. Falſus eſt itaque *Tannerus* in *Bibl.* qui anno 1332. profectum, et *Fabricius*, qui annos 23. peregrinatum adſeveravit. Sedibus porro *Leodii*